De Primævorum Patrum auctoritate.

1222. b. 8

CONCIO,

CORAM

Academia Oxoniensi,

PRO GRADU

Baccalaureatus in S. Theologia,

OLIM HABITA.

A JOHANNE BEAR, *S.T.B.*
Ecclesiæ Shermanburiensis *in Diœcesi*
Cicestrensi *Rectore.*

OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO,
Impensis JACOBI FLETCHER, Bibliop.
MDCCXLVIII.

BRITISH MUSEUM

JUVENTUTI ACADEMICÆ,
Et Theologiæ ſtudioſis omnibus,
Hanc Concionem,
Pro gradu S.T.B. jam olim
Ea mente habitam,
Ut, quorum in Scriptis juxta ac Exemplis
Religionis Chriſtianæ
Exhibetur puritas conſpicua,
Patrum Primævorum
Auctoritas inviolata vindicaretur,
Humiliter offert, atque commendat
JOHANNES BEAR:
Qui jam ſenex pluſquam ſeptuagenarius,
Et in Eccleſia Chriſti
Miles plane emeritus,
Quod fere ſolum poteſt,
Aliis in militiam hanc proficiſcentibus
Monitor adeſt & Hortator,
Παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι
Τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει:

Atque adeo tanquam voce ſuprema,
Vos obſecrat, atque obteſtatur,
Ne Deriſorum
Aut Novatorum quorumcunque
Artibus inſidioſis decepti,
Quem tenetis honeſtiſſimum,
Loco unquam moveamini:
Sed ut potius Antiquitatis Chriſtianæ,
Quò temporibus Apoſtolicis propiora
Eò pretioſiora, monumenta
Omni ſtudio veneremini.
Vos interea viciſſim
Pro Fratre indies morituro precamini,
Ut, quorum virtutes uſq; fuerat admiratus,
Cum Eccleſiæ Patribus primævis
Aliquando ſit illius Anima,
Beati particeps Conſortii!

Lectori.

QUOD *Concionem hanc ſui operis comitem, & proœmii vice præfixam aliquando in lucem publicam evocaverit* Patrum Apoſtolicorum *Editor doctiſſimus, id mihi honori fuiſſe duco, cujus gratiam libenter recognoſco. Quod jam denuo fuerit edita, id effecit Amicorum quorundam auctoritas admonentium hæc noſtra qualiacunque Juventuti Academicæ aliquatenus uſui fore; his præcipue temporibus, in quibus prodierunt Scriptores quidam nimiâ peccantes licentiâ; qui Patrum primævorum fidem in dubium vocant, id omne pro ridiculo habent quod uſque venerandum conſecravit Antiquitas. Præcipue vero Scriptor quidam Anonymus, operis nondum nati promiſſor magnificus, ſtilo eleganti, & ingenio acri abuſus, affirmare haud dubitavit, in Eccleſiâ Chriſtianâ poſt Apoſtolorum ætatem nulla unquam extitiſſe Miracula, &, quæ ſub illo nomine venditabantur, fuiſſe piæ cujuſdam fraudis figmenta. — In hâc causâ nihil valere Patrum antiquorum teſtimonia, quippe fide parum digna: Patres enim illos fuiſſe aut fatuos, aut nebulones — & credulos eſſe eoſdem, & fallaces — & deluſos, & deluſores.*

Mirabar profecto, & dolebam ab homine quovis Chriſtiano, & quidem Theologo, & Proteſtantiſmi *ſtudioſo, hæc objici potuiſſe. — Quorſus vero hæc tendant omnia invitus ſuſpicor: cuinam bono poſſint inſervire, haud ſane video, aut quâ ratione ſive ad Religionis Chriſtianæ, ſive ſpeciatim ad Reformatæ noſtræ defenſionem adhiberi poſſunt; imo vero ſentio utramque his adminiculis & ſubſidiis deſtitutam aliquatenus labefactari. Faxit Deus, ne unquam defenſoribus perfidis aut inidoneis committatur!*

Invaluit certe conſtans & ad noſtram uſque ætatem deducta

ducta opinio in Ecclesiæ seculis primis Miracula extitisse: illam hominum animis protinus evelli jubet pro auctoritate suâ censoriâ Scriptor hic anonymus. Modesta sane postulatio! Scilicet Patrum primævorum fides homini nimium Critico erat suspecta; utpote qui præter modum creduli erant & mendaces, atque adeo secula insequentia piâ credulitate itidem in errorem communem erant inducta. Itanè vero? ergone Patres isti repudiantur, ut facti testes *parùm idonei, &* doctrinarum custodes *parum fidi? Vereor ne nimium probet audax hic Argumentator; Vereor ut ipse Sacræ Scripturæ Canon subsistet per istiusmodi hominum manus traditione continuâ deductus, & Fides porro Catholica. — Probationem rei quæris? — Illa adhuc desideratur promissa, & forsan diu desiderabitur. Interea, quæ suspicioni fidem faciant, historiolas quasdem hinc inde animo maligno congestas, & ab argumento ut plurimum alienas exhibet; quasi deridere, aut invidiam hominibus conflare perinde esset ac arguere, & refellere. Siquis eodem animo* M. T. Ciceronis *scripta perscrutari & excerpere voluerit, quidni & illum facile arguerit aut improbum, aut, credulum & ineptum?*

Quod porro ad Pontificiorum *causam attinet, quis nescit Reformatores nostros, ad Ecclesiæ primævæ judicium, & praxin provocatione factâ, eorum argumenta retudisse; ita ut constaret eos fuisse in re Christianâ Novatores, & Reformationem nihil aliud esse quàm puritatis primævæ, quoad fieri potuit, restitutionem. Quid est ergo, quod telum illud manibus nostris extorqueri patiamur, quo Romanæ Ecclesiæ errores oppugnatos vidimus, & profligatos?*

Si demum contra Schismaticos *agatur, si de Pædobaptismo vel Episcopatu vel istiusmodi re controversâ suboriatur quæstio, apud æquos æstimatores pro jure suo ut plurimum valebit Patrum primævorum auctoritas, & Sacræ Scripturæ in dubium vocatæ mentem felicius aperiet, & explicabit Ecclesiarum ab initio consentiens judicium, & praxis Catholica.*

Quamo-

Quamobrem Religionis Christianæ causâ maxime cupio, ut Ecclesiæ Patribus primævis sua constet auctoritas, & reverentia. Me quidem in ipsorum Scriptis perlegendis diu versatum profiteor fructus exinde haud mediocres percepisse: præclara illa pietatis documenta, & exempla revereor: persuasum habeo fuisse illos rerum gestarum Testes idoneos, & porro Doctrinarum Catholicarum fidos Custodes[a]*: nec fatuos nec prorsus indoctos fuisse loquuntur ipsorum Scripta, & porro veraces comprobant sinceritatis argumenta severissima, qualia à recentioribus frustra expectaveris: comperimus enim eorum plurimos fuisse* ad mortem usque fideles. *Si forte scribendi Artificium desideres, at certe simplicitatem agnoscas haud contemnendam; quippe Sacræ Scripturæ genio stiloque magis concolorem. Jam vero hi homines, neque rerum scientiâ, neque integritate destituti, Miracula post Apostolorum ætatem in Ecclesiâ Christianâ viguisse testantur: testantibus cur fidem quisquam denegaverit? Res ipsa adeo non incredibilis ut etiam verisimilis videatur: Ecclesiæ certe infantis status, adolescentis, & interea persecutionibus crebris vexatæ desiderabat subsidia prorsus extraordinaria, & veritatis suæ testimonia plusquam humana: Quidni hæc revera fuisse præstita agnoverim, adjuvante Deo, qui pollicitus est se Ecclesiæ necessitatibus nunquam defuturum? — Quid autem si sæculis insequentibus ficta quædam aliquando extiterint miracula, ideone nulla omnino in sæculis præcedentibus Miracula extitisse unquam contendemus? Imo vero omnis imitatio suum habet Exemplar; & fictio quævis supponit aliquam veritatem, ad cujus similitudinem fuerit composita. Quamobrem hâc in parte Patrum primævorum testimonia libenter amplectimur, de ipsorum fide, & integritate nihil dubitantes, testimonia ad hominum memoriam sensuf-*

---

a Admonendus est Lector, qui hoc de argumento plura cupit, ut consulat *Gul. Wottoni* Præfationem omni eruditione refertam, Editioni suæ *Clem. Rom.* præfixam; item Dissertationem Rev. *Waterlandi* de usu Patrum; & Præfationem *Gul. Reeves* ad Angl. versionem Apologistarum Patrum.

que

que de miraculis quibuſdam tanquam rebus notiſſimis provocantium: quod præcipue ab illis factum videmus in iis, quas publice exhibuerunt, Apologiis, & quidem coram Judicibus Ethnicis iiſdem & infenſis, qui mendaciorum reos illico pœnis acerbiſſimis coercerent. Imo vero ſi hæc tam levi de causâ rejiciantur, quidni omnino omnia in dubium veniant, & actum ſit de omni hiſtoricâ fide?

Optandum ſane eſſet ut, quæ Theologorum ſunt, & quæcunque præſertim ſunt diſquiſitionis controverſæ, ea unice pertractarent homines vere Theologi, uſu longo & ſtudiorum exercitatione periti, nec ad res Eccleſiaſticas quaſi illotis manibus proterve accederent neſcio qui Philologi, quidlibet aggredi audaces, & quam in literis Profanis adhibent, eandem etiam in Sacris licentiam criticam temere adhibituri.

Facile quidem eſt etiam vera in dubium vocare, ſeria in riſum vertere: Verum id genus hominum eſt peſſimum, qui rebus abutuntur bonis: Imo ſentio Sacras Scripturas ipſas à quibuſdam legi excutique eo animo ut inde ſolum aliqua aut ridendi, aut cavillandi materies eruatur. At certe indignum eſt homine Chriſtiano, & maxime Theologo, modeſtiæ & pietatis diſpendio ambitioſæ cujuſdam eruditionis & ingenii famam aucupari. Me quidem ulterius in diſputationis campum deſcendere nec mens, nec ætas patitur: id negotii à viris doctioribus, & acutioribus felicius tranſigendum relinquo. — Reſtat interea, ut juventutem Academicam, & quotquot ſunt Theologiæ ſtudioſi, ſedulo admoneam atque obteſter; ne in Religione Chriſtianâ temere rebus novis ſtudeant, ſed ut antiquitatem genuinam venerentur, & quæ ſemper, *quæ* ubique, *quæ ab* omnibus *uſque fuerint receptæ, doctrinas tueantur, & SS. Eccleſiæ conſentientis judicium & Catholicam praxin famulantem adhibeant: ita demum, dum Religionis Chriſtianæ puritatem conſervant inviolatam, & Pontificiorum & Schiſmaticorum errores auſpicatius oppugnabunt, & Eccleſiæ ſuæ Anglicanæ præſidio erunt validiſſimo, & ornamento honeſtiſſimo.*

Alterius ad TIMOTHEUM *Epiſtolæ* Capite ſecundo, Commate ſecundo, ſic ſcriptum legitur:

Καὶ ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων, ταῦτα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις, οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι.

Et quæ audîſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.

INTER omnia, quæ in utrâque ad TIMOTHEUM *Epiſtola* continentur, nihil plane illo, quod verba modo prælecta exhibent, documento memorabilius reperitur; quippe quod maximam vim affert ad religionis Chriſtianæ veritatem propagandam, & ad Eccleſiæ ſtabilitatem ſimul & dignitatem conſervandam. Cum igitur rei Chriſtianæ plurimum intereſſet, ut quicunque Eccleſiæ regimen capeſſerent eſſent & eruditionis & morum dotibus eximiis inſtructiſſimi, illud præcipue hoc mandato ſuo tanquam lege latâ cautum eſſe voluit Apoſtolus

TIMOTHEUM Eccleſiæ *Epheſinæ* Epiſcopum ſedulo admonens, & in hunc modum compellans, *Et quæ audiviſti ex me* &c.

Per illa, *quæ* ab Apoſtolo TIMOTHEUS *audiverat*, intelligimus, tum doctrinas Evangelicas, quæ ad fidem, aut mores; tum regulas, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectant, quaſque olim TIMOTHEO, Eccleſiæ *Epheſinæ* præpoſito, ore tenus ſeu vivâ voce, S. PAULUS tradiderat: intelligimus [a] *formam* illam *ſanorum verborum*, Capite præcedente memoratam, TIMOTHEO traditam; nec furtim, aut clanculum, ſed palam, & *coram multis* traditam. — Per *fideles homines*, quorum meminit, & quibus *commendari* ſuas doctrinas voluit Apoſtolus, præcipuè intelligendi ſunt Eccleſiæ Chriſtianæ Rectores, ſeu Epiſcopi: quorum erat, Fidem tueri, ſartam tectam conſervare, integramque & illibatam ſuis ſucceſſoribus (quemadmodum S. PAULUS TIMOTHEO) concredere: quorum erat, *docere*, *arguere*, *increpare*; alioſque non tantùm in Sacrum Miniſterium eligere, ſed & Eccleſiæ regimen ordinare, & nequid res Chriſtiana caperet detrimenti proſpicere.

Decrevit igitur Auctoritas Apoſtolica, ut eis

---

a Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας — 2 Tim. i. 13.

tantùm

tantùm ad Eccleſiæ præfecturam pateret aditus, qui ſummâ integritate, & perfectâ rei Chriſtianæ ſcientiâ, alios antecederent. Quapropter TIMOTHEO mandatur, *quæ audiverat*, non ut omnibus, aut quibuſvis, ſed certo cuidam hominum ordini, omnique virtutum genere inſtructiſſimo, committeret [a].

Ex Apoſtoli verbis, hucuſque explicatis, conſtat

1. Primò, magnum & manifeſtum eſſe, inter Doctores & docendos, inter Clerum & Plebem Chriſtianam, diſcrimen. Peculiaris cujuſdam ordinis, ad Eccleſiam docendam & regendam, deſignatio, iſtum ordinem ab aliis diſtinguit; a-

---

a ΠΙΣΤΟΙΣ (ὁ ζητητικοῖς, ὁ συλλογιστικοῖς· ΠΙΣΤΟΙΣ) ποίοις; τοῖς μὴ πιθανῶς τὸ κήρυγμα· Α ΗΚΟΥΣΑΣ) ὅτι ἀ συνεζήτησας· ἡ πίστις γὰρ ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεοῦ· — τί δ' ἐστὶ ΔΙΑ ΠΟΛΛΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ; ὡς ἂν εἰ ἔλεγεν, ὁ λάθρα ἤκουσας ἐδὲ κρυφῆ, ἀλλὰ πολλῶν παρόντων μετὰ παῤῥησίας· — ὐκ εἶπεν ἅπερ ἀλλὰ ΠΑΡΑΘΟΥ, καθάπερ ἐπὶ θησαυροῦ τὸ παραπεθέμενον ἐν ἀσφαλείᾳ παρακαταθέτου· ἀλλ' οὐ ΠΙΣΤΟΙΣ μόνον λέγει παράδος· τί γὰρ ὄφελος ὅταν πιστὸς μὲν ᾖ μὴ δύνηται δὲ εἰς ἑτέρους ἐξάγειν τὴν διδασκαλίαν; ὅταν αὐτὸς μὲν μὴ πιθανῶς τὴν πίστιν, ἑτέρους δὲ μὴ καταισχύζῃ τοιούτους· δύο τοίνυν ἔχειν χρὴ τὸν διδάσκαλον, καὶ πιστὸν εἶναι, καὶ διδακτικόν· διὰ τοῦτο φησὶ ΟΙΤΙΝΕΣ ΙΚΑΝΟΙ ΕΣΟΝΤΑΙ ΚΑΙ ΕΤΕΡΟΥΣ ΔΙΔΑΞΑΙ.

Ita *Chryſoſtomus* ad locum — quem quidem velut exempli cauſa integrum citare libuit ut intelligerent Theologiæ ſtudioſi, Patrum commentationes hujuſmodi adeo non eſſe ineptas & à re ſua alienas, ut nihil fere plenius & melius proferri potuerit.

lioſque omnes, ab omni negotio iſti ordini proprio, penitus excludit.

2. Poteſtatem Eccleſiaſticam à Civili eſſe diſcretam, & à Jesu Christo ad Apoſtolos, ab Apoſtolis ad Epiſcopos, eorum ſucceſſores, deductam. Quæ acceperat à Christo Paulus, ea tradit Timotheo; Timothei ſucceſſoribus deinde commendanda: nullâ de auctoritate Magiſtratûs Civilis, nullâ de jure Plebis mentione factâ. Conſtat

3. Quales Eccleſiæ Rectores eſſe debent: viri nimirum ob exploratam probitatem conſummatamque prudentiam, & accuratam rei Chriſtianæ notitiam, longè latéque conſpicui. *Hæc commenda fidelibus hominibus.* — 1. Primò *fideles*, hoc eſt, probos, integros, & conſtantes, requirit Apoſtolus; ne ſcandalo aut fraudi ſit locus. —— 2. Perquam aptos ac *idoneos & alios docere*; hoc eſt, prudentes, & religionis Chriſtianæ apprimè intelligentes; ne quid detrimenti Plebi Chriſtianæ, ex Ductorum ignorantiâ, accidat; ne quam gravi errori anſam præbeat docentium imperitia.

His præmiſſis, nihil potius in ſequente Diſſertatione faciendum duxi, quàm ut

I. Primò oſtenderem, Eccleſiæ primævæ Clero, & præſertim Rectoribus, apoſtolicam hanc, quam

quam Textus continet, deſcriptionem optimè congruere.

II. Deinde ut conſtaret quanti momenti ſit eorum auctoritas ad rei Chriſtianæ uſus peculiares applicata.

I. Ut perſuaſum habeamus Eccleſiæ primævæ Clero, & præſertim Rectoribus, Apoſtolicam hanc deſcriptionem optime congruere, ſive illos fuiſſe revera tales quales deſignat Apoſtolus, viros integritate ſummâ & plenâ rei Chriſtianæ ſcientia imbutos, ea quæ ſequuntur nos inducere poſſunt argumenta;

1. Apoſtolorum, Spiritu Sancto plenorum, ſumma cura, & exquiſitiſſimum, in eligendis & conſtituendis Eccleſiæ Rectoribus, judicium:

2. Eorum, qui Apoſtolos excipiebant, & quos illi ipſi Eccleſiæ præficiebant, dignitas:

3. Modus, quem in eligendis, & ordinandis Epiſcopis, primitiva Eccleſia diligentiſſimè obſervavit:

4. Peculiares quædam primævæ Eccleſiæ circumſtantiæ, quæ ad præſtantiſſimos evehendos plurimùm contulerunt.

1. Quantam Apoſtoli curam adhibuerint, quàm gravi & maturo judicio, in eligendis & conſtituendis Eccleſiæ Miniſtris, uſi ſint; & quàm diligenter idoneis deſignandis & promovendis

vendis invigilaverit Spiritus Sanctus, abunde docent tum ſacræ paginæ tum etiam Scriptorum antiquorum teſtimonia.

Ad Diaconatûs officium exſequendum, exigunt Apoſtoli *viros teſtimonio ornatos, & Spiritu Sancto, & ſapientiâ plenos* [a]. Tales electos ſolenni more DEO commendant, & in Diaconatûs ordinem conſtituunt. — Eodem planè modo Presbyteros [b] LYSTRIS, ICONII, & ANTIOCHIÆ, conſtituunt PAULUS & BARNABAS, ex iis, quos illo munere dignos invenerant.

Quales verò Rectores ipſi Apoſtoli Eccleſiis præfecerint, quales deinceps præponi voluerint, *Epiſtolæ* ad TIMOTHEUM & TITUM datæ luculenter evincunt. Epiſcopale munus, ſecundùm leges in hiſce *Epiſtolis* poſitas, iis ſolummodò demandatur, qui ſunt populi conſenſu & teſtimonio muniti, reique Chriſtianæ ſcientiâ, & illibatâ probitate inſignes. Monentur Epiſcopi, ne cuiquam temere manus imponant, ac ne ad ſacram functionem quenquam indignum aut ignotum admittant.

Eundem ſucceſſionis modum, eandem ordinationis formam, ut in defunctorum locum viri probati ſuccederent, Apoſtolos, futurorum præſcientiâ præditos, ſucceſſoribus ſuis tradi-

---

a Act. vi. 3. 5. 6. b Act. xiv. 23.

diſſe,

diſſe, certiores nos facit S. CLEMENS ROMANUS, vir Apoſtolicus, teſtis omni ſuſpicione major, omnique fide digniſſimus [a]. Apoſtolorum, in eligendis & conſtituendis Eccleſiæ Rectoribus, curam & judicium abundè confirmat & commendat Spiritûs Sancti, qui falli nequit, vigilantia. Ipſum enim Apoſtolis in Epiſcopis eligendis affuiſſe, & viros idoneos indicâſſe, ſine ſummâ impudentiâ negari non poteſt.

[b] Ex *Apoſtolorum Actis* ſcimus, PAULUM & BARNABAM *Spiritum Sanctum elegiſſe, ſeparâſſe,* & *ad opus* Evangelicum miſiſſe. Scimus etiam, Eccleſiis Aſiaticis Epiſcopos [c] *à Spiritu Sancto præpoſitos.* Legimus, TIMOTHEUM ad Epiſcopale munus [d] *ſecundùm prophetias præcedentes* e-

---

a Διὰ ταύτην ἓν τὴν αἰτίαν πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν, κατέστησαν τοὺς προειρημένους, καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν. Epiſt. ad Cor. Cap. xliv. -- Admonendus eſt Lector ne nimium tribuat judicio *Joh. Clerici,* qui Annotationibus in *Clem. Rom. Ep.* I. ad *Cor.* literâ B. ſubſignatis, iſti Epiſtolæ fidem & auctoritatem detrahere conatur, &, neſcio quo jure, nimis certe audaci conjectura, ſuſpiciones quaſdam malignas ignoti cujuſdam, *docti* tamen, ſi Dîs placet, auctoritate commendatas venditat. (vid. *Præf.*) Verum haſce cavillationes confutatas expoſuit Reverendus admodùm *Clem. Alexandrini* Editor vol. I. p. 610 in Annotationibus ad Ἀτενίσωμεν ἓν. Hoc ideo animadvertendum duxi tum quia ſentio viros quoſdam doctos pioſque hæc à *Clerico* gratis dicta temere arripuiſſe, tum quia erat à nupero SS. Patrum Apoſtolicorum Editore doctiſſimo prætermiſſum.

b Act. xiii. 2. c Act. xx. 28. d 1 Tim. i. 18. — iv. 14.

lectum,

lectum, & [a] *per prophetiam* admiſſum. — A [b] CLEMENTE ROMANO, Apoſtolorum ſucceſſore, diſcimus, Apoſtolos, *per regiones & urbes* verbum *prædicantes, primitias eorum, Spiritu probantes, Epiſcopos & Diaconos eorum qui credituri erant, conſtituiſſe.* Et [c] CLEMENS ALEXANDRINUS teſtatur, S. JOHANNEM Apoſtolum, poſt reditum à Patmo, Aſiam peragrantem, partim ut *Epiſcopos conſtitueret*, partim ut *Eccleſias formaret*, eos ſolummodò *in Clerum, quos deſignaverat Spiritus, cooptâſſe.*

2. Eorum qui Apoſtolos excipiebant, & quos illi ipſi Eccleſiæ præficiebant, dignitas, ita apud nos valere debet ut de Eccleſiæ primævæ

---

a Τί δ' ἐστιν ἀπὸ προφητείας; ἀπὸ Πνεύματος ἁγίου· προφητεία γάρ ἐστιν ὁ τὰ μέλλοντα λέγειν ἀλλὰ καὶ τὰ παρόντα. -- προφητείαν ἦν καὶ τὸ λέγειν, ἀφορίσατέ μοι τὸν Παῦλον καὶ Βαρνάβαν· ἔτω καὶ ὁ Τιμόθεος ἠρέθη. -- ὡς ἂν εἰ ἔλεγεν, ὁ Θεός σε ἐξελέξατο, αὐτός σοι ἐνεπίσθυσεν, ἐκ ἀνθρωπίνης γέγονας ψήφου. Chryſoſt. ad locum.

Ita & Theodoretus ad loc. ὁ δὲ ἀνθρωπίνης, ἔφη, τετύχηκας κλήσεως ἀλλὰ καὶ θείαν ἀποκάλυψιν χειροτονίαν ἐδέξω.

b Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν. Epiſt. ad Cor. Cap. xlii.

c Ἀπὸ τῆς Πάτμου τῆς νήσου μετῆλθεν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον, ἀπιὼν παρακαλούμενος καὶ ἐπὶ τὰ πλησιόχωρα τῶν ἐθνῶν, ὅπου μὲν ἐπισκόπους καταστήσων, ὅπου δὲ ὅλας ἐκκλησίας δραμούμενος, ὅπου δὲ κλήρῳ ἕνα τινὰ κληρούμενον ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημανομένων. Tract. cui titulus Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος. Ed. Oxon. 1715. p. 959. Vide etiam Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Lib. iii. Cap. 23. & Valeſ. Annot.

Recto-

Rectorum tum peritiâ, tum probitate, nulli dubitemus.

Quæ à CHRISTO dum in terris ageret, quæ ab afflatu Spiritûs Sancti poſt CHRISTI aſcenſionem, acceperant, ea Apoſtolos ſucceſſoribus ſuis impertiviſſe, nemo niſi inverecundus inficias iverit: rei igitur Chriſtianæ fuere ſcientiſſimi. Mores autem & ingenium eorum, quos promovebant Apoſtoli, examen divinitus inſpiratum latere potuiſſe, omnem fidem ſuperat: fuerunt igitur viri integerrimi. — Tales fuere TIMOTHEUS, Epheſinus, & TITUS, Cretenſis Epiſcopus, S. PAULI diſcipuli, comiteſque in Evangelio propagando conjunctiſſimi. — Talis S. IGNATIUS, [a] Apoſtolorum diſcipulus, eorumque judicio adeò probatus, ut Antiochenſi, omnium, quæ apud Gentes erant, Eccleſiarum antiquiſſimæ, &, propter [b] ſummam urbis in ſeculo famam & amplitudinem, nobiliſſimæ, præponi meruerit. — Talis POLYCARPUS, [c] S. JOHANNIS Apoſtoli diſcipulus, & ab ipſo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus, totius Aſiæ princeps. — Tales denique in Eccleſia Præſe-

a Conſule Chryſoſtomum de Ignatio.

b. Hinc ſeipſum vocat ὁ ἐπίσκοπον Συρίας καὶ ποιμένα. Epiſt. ad Rom. §. ii. & ix. Vide Annot. Pearſoni & Smithi in loc.

c Vide Martyrium S. Ignatii. §. iii.

ctos ubique ordinaſſe Apoſtolos, [a] par eſt ut credamus.

Hoſce verò Apoſtolorum ſucceſſores, quibus eorum mens, ſacri ordinis dignitas, & Eccleſiæ ſalus fuerunt perſpectæ, maximam in præficiendis Eccleſiæ Rectoribus cautionem adhibuiſſe, apud æquos rerum æſtimatores in dubium venire non poſſit. Apoſtolorum enim diſcipulos & ſucceſſores doctrinam à puriſſimis Chriſtianiſmi fontibus hauſtam, viris integris, & ad docendum aptis & idoneis commendâſſe, neceſſe eſt, ut aut nobis perſuadeamus; aut concedamus, eos mandati Apoſtolici ſuique officii prorſus immemores fuiſſe, & de re Chriſtianâ parum ſollicitos: quod quidem ab omni veriſimilitudine abhorret, quippe ab ipſorum moribus & pietatis eximiæ famâ alienum, imo & hiſtoriæ primævæ teſtimonio repugnans. Ex his, quæ dicta ſunt, non tantùm liquet, Apoſtolorum ſucceſſores fuiſſe egregiis dotibus inſtructos, & in omni virtutum genere primas tenuiſſe, ſed & ſimillimæ ſucceſſioni propagandæ ſeriam operam dediſſe.

Illos verò, qui Apoſtolorum ſucceſſores ex-

---

a *Valde enim perfectos & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant* [Apoſtoli] *eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum locum magiſterii tradentes.* Irenæus, Lib. iii. p. 201. Edit. Oxon. 1702.

cipiebant,

cipiebant, viros præſtantiſſimos Eccleſiæ præfeciſſe, ulteriùs evincet

3. Modus, quem, in eligendis & ordinandis Epiſcopis, primæva Eccleſia diligentiſſimè obſervavit. — Ex antiquâ enim diſciplinâ patet, in Epiſcopis ordinandis, tum Epiſcopos, tum Plebem partes ſuas habuiſſe. Ad Epiſcopos jus examinis, electionis, & ordinationis pertinebat: ad Plebem, jus idoneos proponendi, teſtandi, ac comprobandi.

Antiquiſſima, quæ apud S. [a] CLEMENTEM ROMANUM occurrunt, ordinationis veſtigia, Epiſcopis καταίξασιν, Plebi συνδόκησιν aſcribunt. Ordinatio igitur Epiſcopalis in Eccleſiâ primævâ in hunc modum celebrari ſolebat. — [b] Sede vacante, ad Plebem, cui Præpoſitus erat ordinandus, ejuſdem Provinciæ Epiſcopi omnes, vel ſaltem proximi, conveniebant: populumque convocatum, de viri ordinandi moribus & meritis, conſulebant; juſtoque examine habito, virum in ſacris rebus peritum, & populi conſenſu teſtimonioque munitum, eligebant & conſecrabant. Hoc pacto optimè cautum erat,

---

a Τὰς οὖν κατασταθέντας ὑπ' ἐκείνων [ſcil. Ἀποστόλων] ἢ μεταξὺ ὑφ' ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν, συνδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης, κ. τ. λ. Epiſt. ad Cor. Cap. xiv. Conſule Felli Annotata in locum.

b Cypriani Epiſt. 67. Vide Conc. Nicen. Can. 4. & Annot. Cl. Beveregii.

ne quis ignarus, ne quis parum ſanctus, ne quis ullo modo indignus, in ſacratiſſimum & maximi in Eccleſiâ momenti munus irreperet. — De rectâ & catholicâ ordinandorum fide atque eruditione judicabant Epiſcopi; de illorum probitate, gravitate, ac prudentiâ Plebs Chriſtiana, DEI gloriæ Eccleſiæque commodo unicè intenta, liberum, ingenuum & fidele perhibebant teſtimonium.

Hanc ordinandi rationem Eccleſiæ feliciter ceſſiſſe, & conjunctis hiſce, tum Cleri, tum Plebis, ſtudiis, integros & idoneos ad Eccleſiæ regimen fuiſſe evectos, fidem faciunt optimi & teſtes, & judices. — TERTULLIANUS, cenſor acerrimus, & teſtis ſi quis alius incorruptus, de ſui ſeculi Epiſcopis, in illâ, quam pro Chriſtianis & re Chriſtianâ edidit, *Oratione Apologeticâ*[a], hunc in modum teſtatur. *Præſident apud nos probati ſeniores, honorem iſtum, non pretio, ſed teſtimonio, adepti.* — S. CYPRIANUS, TERTULLIANI diſcipulus, & Africæ Epiſcopus primarius, vir ſummo judicio, & pari integritate, palam profitetur, ſui ſeculi Epiſcopos[b], *plebe præſente, & ſub omnium oculis, delectos, dignoſque & idoneos ad id muneris publico judicio & teſtimonio promotos.* — EX ORIGENE[c], viro

a Cap. 29. b Epiſt. 67. Ed. Oxon.
c Hom. vi. in *Levit.* viii. 4.

ſan-

ſanctiſſimo & eruditiſſimo, diſcimus, ideo in ordinando Sacerdote requiri præſentiam populi, ut omnes ſciant, non niſi doctiores, & ſanctiores, atque omni virtute eminentiores, eſſe ad Sacerdotium electos. Et [a] alibi fidenter aſſerit, eos, qui ſui temporis Eccleſiæ præerant, viros fuiſſe *non ambitioſos*, & temere ſe in functiones arduas ingerentes; ſed modeſtos, ſed *potentes ſermone, & vitâ ſanâ utentes.* — Teſtimonia hæc, omni fide digna, pleniùs illuſtrant & confirmant [b] SEVERI, Imperatoris Romani, praxis & judicium: accuratam enim primævæ Eccleſiæ, in eligendis & ordinandis Epiſcopis, & Sacerdotibus, rationem non tantùm magnopere probavit, ſed & imitari voluit, in conſtituendis provinciarum Rectoribus & præpoſitis, quibus fortunæ hominum & capita committerentur.

4. Peculiares quædam primævæ Eccleſiæ cir-

---

a Ἡμεῖς ᾗ ἐν ἑκάστῃ πόλει ἄλλο σύστημα πατρίδος κηδεῖν λόγῳ Θεοῦ ἐπιτρέμβοι, τὰς δυναστὰς λόγῳ καὶ βίῳ ὑγιεῖ χρωμένους ἄρχειν, ἐπὶ τὸ ἄρχειν εἰσπλησιῶν παρακαλέμεν. εἶτα δεδεχόμβοι μὲ τὰς φιλάρχους, βιαζόμβοι ᾗ τὰς διὰ τὴν πολλὴν μετριότητα τὴν κοινὴν φροντίδα τ ἐκκλησίας ᾗ Θεῦ μὴ βελομένους ἀθπιτῶς ἀναδέξαδ. Orig. contra Celſum, Lib. viii. p. 428. Edit. Cantab. 1677. De hiſce vertendis conſulendæ Pearſoni Vindiciæ Ignat. Part. I. Cap. 11. ubi meritò vapulat Salmaſius.

b Lampridius in Vita Alex. Severi: Hiſt. Aug. Script. Ed. Par. p. 130. Vide Notas Caſauboni in locum.

cumſtantiæ

cumſtantiæ ad viros omni virtutum genere præſtantiſſimos evehendos plurimùm contulerunt. Inter has circumſtantias numeramus — *Primò*, Singularia quædam Chriſtianæ ſcientiæ adjumenta, quibus primævæ Eccleſiæ Rectores fruebantur. — *Secundò*, Statum Eccleſiæ, crebris & violentis perſecutionibus agitatæ.

Primò, Singularia Chriſtianæ Scientiæ adjumenta, quibus primævæ Eccleſiæ Rectores fruebantur, ex iis quæ ſequuntur manifeſtè apparent. — 1. Fuerunt ævo Apoſtolico proximi. — 2. Spiritu Sancto cumulatè inſtructi & illuminati. — 3. Ad Eccleſias Apoſtolicas *matrices & originales*, quæ ſacrum Fidei depoſitum adſervabant, ad ipſas Litteras Apoſtolorum authenticas, pro re natâ, provocare & recurrere potuerunt.

1. Primitivæ Eccleſiæ Præſules fuerunt ævo Apoſtolico proximi: & quò proximiores, eò inſtructiores, paratioreſque ad alios docendos evaſere. Inde adeo, illius ævi linguam, mores, ritus, doctrinam, & diſciplinam, optimè callebant: Inde adeo evenit, obſcuriora, & difficiliora Sacræ Scripturæ loca, iis facilius patuiſſe; utpote qui aut ab Apoſtolis, aut ab Apoſtolorum diſcipulis, auditoribus, & ſucceſſoribus, explicationem expoſitionemque acceperant. Divina regiminis Eccleſiaſtici forma, à quâ aberrare

rare ſemper erat, ſemperque erit piaculum, illis fuit notiſſima. Eccleſia Chriſtiana, caſta adhuc, pudica, & incorrupta, ab ipſis Apoſtolis divinitus inſpiratis recèns conſtituta, eorum oculis obverſabatur. — De ſanâ igitur & de hæreticâ doctrinâ, de Eccleſiæ unitate, deque Schiſmatis naturâ, rectiſſimè ſentiebant.

Hiſce adjumentis acceſſere

2. Spiritûs Sancti ſubſidia, qui primævæ Eccleſiæ Præſides cumulatè inſtruxit & illuminavit. — Ut enim conſtat [a], *Spiritum Sanctum* Apoſtolos *in omnem veritatem deduxiſſe*, ita etiam conſtat illorum ſucceſſores, cum Epiſcopatûs ſucceſſione, veritatis chariſma [b], atque extraordinaria Spiritûs dona, accepiſſe. Primitivæ Eccleſiæ commodo, & exiſtimationi ita proſpexit Spiritus Sanctus, ut iis virtutibus Antiſtites imbueret, quæ officio, & pares efficerent, & dignos oſtenderent. Nativis dotibus minimè contemnendis acceſſerunt, quæ naturam ſuperabant, dona [c]; quæque *virum Dei conſumma-*

---

a Joan. xvi.

b Irenæi Lib. iv. C. 43. p. 343. Edit. *Ox.* 1702.

c Cur iſthoc cuiquam incredibile videatur haud ſane intelligo: Is certe erat Eccleſiæ ſtatus, qui iſtiuſmodi Chariſmata & ſubſidia extraordinaria poſtulabat; & ea fuiſſe à Deo communicata diſerte teſtantur illorum temporum hiſtoriæ. En rem rationi apprime conſentaneam! en rei teſtimonia! quis æquus cauſarum judex fidem denegaverit?

tum,

tum, & ad omne bonum opus, ad omnem ſacri muneris partem, ritè & cum dignitate obeundam, inſtructum reddiderunt.

3. Ad Eccleſias Apoſtolicas *matrices & originales*, quæ Fidei ſacrum depoſitum adſervabant, ad ipſas Apoſtolorum Litteras authenticas, primævæ Eccleſiæ Præſules provocare & recurrere potuerunt [a]. — Exſtitiſſe Scripta Apoſtolorum authentica, ſeculo ſecundo exeunte, è TERTULLIANI teſtimoniis compertum habemus. Archetypa hæc ultra TERTULLIANI ætatem in Eccleſia durâſſe, veriſimillimum videtur. Ad hoſce codices, Apoſtolorum manu exaratos, vel ſaltem obſignatos, Primævi Epiſcopi exemplaria ſua corrigebant; ad hoſce codices provocando, dubia & controverſa dirimebant: atque hoc pacto Novi Inſtrumenti tum Textum, tum Canonem, exploratè perſpectum, planéque cognitum habebant.

Præterea, Eccleſiis à ſe fundatis, quæ eâ de causâ *Apoſtolicæ*, *matrices*, & *originales* [b] audie-

---

